

## CUIUS SUPRA ATHENIENSIBUS DIRECTA.

33r

Yginus papa Atheniensibus salutem.

1 |

Multa mihi fiducia est apud vos, fratres, et multa gloriatio pro vobis. Repletus sum consolatione, superabundo in omni tribulatione vestra. Tribulor enim, quando de vobis audio, quod non oportet. Consolor vero, quotiens ea inter vos fieri cognovero, quae bonos christianos decet implere.

2

Nolite, fratres, iugum ducere cum infidelibus. Unde doctor gentium loquitur dicens: Quae participatio iustitiae cum iniquitate? Qui autem consensus templo dei cum idolis? Vos enim templum dei vivi, sicut dicit deus: Quoniam inhabitabo in illis et inambulabo et ero illorum deus, et ipsi erunt mihi populus. Si enim deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit iudicium cruciandos reservari, et originali mundo non pepercit, sed octavum Noe iustitiae praeconem custodivit diluvium mundo impiorum inducens et civitates Sodomorum et Gomorrhaeorum in cinerem redigens eversione damnavit exemplum eorum, qui impie acturi sunt, ponens, quid putatis iniquis et impiis perseverantibus in nequitia eorum? Iustum vero Loth oppressum a nefandorum iniuria conversatione eruit. Aspectu enim et auditu iustus erat habitans apud eos, qui in diem de die animam iustam iniquis operibus cruciabant. Novit deus pios de temptatione eripere, iniquos vero in diem iudicii cruciandos reservare, magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immundiciae ambulant dominationemque contendunt, audaces sibi placentes sectas non metuunt facere blasphemantes.

3

Unde alieni erroris socium vel a sui propositi tramite recedentem aut apostolicae sedis iussionibus inoboedientem suscipere non possumus, nec impedire recte credentes vel sanctorum patrum iussionibus obtemperantes permittimus, quia inter fideles et infideles magna debet esse discretio.

4

Si deus, fratres, iustis non pepercit, quid de nobis peccatoribus fieri putatis? Custodite vos ab omni inquinamento carnis et corporis, ut salvi sitis in die adventus domini. Unum autem hoc non lateat vos, ut ait apostolus, carissimi: Quia unus dies sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus. Non tardat dominus promissis, sed patienter expectat-propter vos nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti. Adveniet autem dies domini ut fur, in qua caeli magno impetu transient, elementa vero calore solventur. Cum haec igitur omnia dissolvenda sunt, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus exspectantes et properantes in adventum diei, per quem caeli ardentes solventur et elementa ignis ardore tabescent. Novos vero caelos et novam terram et promissa ipsius exspectamus, in quibus iustitia habitat.

5

Deus autem omnis gratiae, qui vocavit nos in aeternam suam gloriam, in Christo Iesu modicum passos ipse perficiet, confirmabit, consolidabit. Ipsi gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.

6

Data X Kl. Martii Magno et Camerino consulibus.

7

5 quotiens] *corrected from* quoties    10 populus] *corrected from* populos    13 inducens] *corrected from* indecens    15 impie acturi] *corrected from* impietaturi    18 cruciabant] *corrected from* cruciabantur    19 temptatione] *corrected from* temptione    21 contendunt] *in margin: vel* contempnunt    23 socium] *corrected from* societatem    24 sedis] *corrected from* sede    29 non] *added*